



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vnica Religione, Stvdio Catholicorvm Principvm, In
Repyblica Conservanda, Liber vnus**

Lens, Jean de

Coloniae Agrippinae, 1579

VD16 L 1181

Sicut iustitiae ratio, sine qua Respublica non est, postulat vt Deo suus
honus vera religione deferatur: ita postulare etiam, vt eius
dehonestationes atque iniuriae quae fictis & falsis religionibus ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-30005

ab Imperatoribus Valentiniano & Gratiano *Li. 7. tri. hist. ca. 9.*
 legimus esse reprehensum his verbis : Hanc *hist. ca. 9.*
 (inquiunt) trinitatem consubstantialem pa-
 tris & filij & spiritus sancti, prædicare decre-
 uit nostra quoque potentia : ita tamen vt nõ
 dicant aliqui : Sequimur religionem Impera-
 toris hanc patriam gubernantis, & non illi
 potius obediens qui nobis salutis mandata
 contradidit. Euangelium namque Christi no-
 stri sic habet: Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsa- *Matt. 22.*
 ri, & quæ sunt Dei Deo. Constat igitur religio- *Luca 20.*
 nem Deo iure deberi, atque hanc primam præ *Marci 12.*
 cipuamq; iustitiæ partem esse, vt ei illa defe-
 ratur. Quod si non cadat sub communem &
 publicum populi consensum, non est ille cœ-
 tus multitudinis, iuris consensu sociatus. Nõ
 est igitur Respublica, in qua non sit commu-
 nis quædam multitudinis cõsensio in vnã
 eandemq; veram religionem. Et ad similem fe- *Libr. 9. cap. 21.*
 remodum ratiocinatur D. Augustinus in li-
 bris de ciuitate Dei, colligens gentilium cœ-
 tus sine veri Dei cultu sociatos, iuxta Scipio-
 nis & Ciceronis definitionem, non esse Res-
 publicas.

*Sicut iustitia ratio, sine qua Respublica non est. po-
 stulat, vt Deo suus honos Vera religione deferatur: ita
 postulat etiam, vt eius dehonestationes atque
 iniuria qua fictis & falsis religionibus irrogantur,
 legibus pœnalibus propulsentur.*

CAPVT III.

QVemadmodum autem exposcit ratio
 iustitiæ, vt suum cuique reddatur, ita
 pœnam exigit in transgressorem. Quocirca
 B si per

si per falsam religionem iustitia violatur, & in ea quidem sui parte, quam constat esse primariam: esse debet illa multo minus à iustis ac seueris animaduersionib' libera, quàm crimina cætera iniustitiæ, quibus homini q̄ eius sit non redditur, siue iniuria quæpiam irrogatur. Quàm enim hoc alioqui præposterum videri necesse est, vt à proximis quidem nostris vel virulentas aliorum linguas, vel violētas manus pœna cohibeamus: in Deum verò nostrum blasphemarū tela linguarum impunè mitti patiamur? Quamobrem Deus ipse sapientissimus Republicæ conditor, tēperatorq; iustissimus, leges tulit pœnales in eos, qui hac in parte iustitiam violassent. Ex quibus quidem legibus non difficile est elicere iustitiæ rationem, qua nostrorum quoq; temporū iniustitiæ, mala similia, pœnarum æquitate subiiciantur. Cùm igitur duce quondam Moyse, qui sapiam è populo Dominum in iurgio blasphemasset, atque is in vincula propterea coniectus esset, tantisper dum cognosceretur diuinum de reo iudicium, consultus Dominus hanc legem tulit: Homo qui

Leuit. 24. maledixerit Deo suo, portabit peccatū suum: & qui blasphemauerit nomen Domini, morte moriatur; lapidibus opprimet eum omnis multitudo populi, siue ille ciuis, siue peregrinus fuerit. Lex iudiciaria est in blasphemum, eaq; proculdubio iustissima, quia diuina. Cui si qua seueritate confimilis, à principe fortè statuatur in religionis nouatores hæreticos, quid is tum aliud, quàm Dei iudicium

ciuit
fort
tur b
æter
moc
de di
fabu
xuit
omn
sene
in al
ma C
blasf
pesta
est vl
man
pau
perfp
tate,
tis su
tur. J
prop
tum
quan
di iud
bem
inqu
tores
omni
quid
medi
cende
tuo.

eius legumque eius æquitatem imitatur? An forte blasphemus non est hæreticus? Non igitur blasphemus Arrius, qui filio diuinitatem æternitatemque detraxit? Non blasphemus & modis quidem innumeris Manichæus, qui de duobus rerum principijs, dijsque duobus, fabulas illas seu potius deliramenta contexit? Quid? non blasphemus Calvinus, qui omnipotentiam derogans, fieri vel à Deo posse negat, ut quod in cælo est Christi corpus, in altari quoque simul ad verba efficacissima Christi seruatoris existat? Non Brentius blasphemus, qui in diuersam tanquam tempestate delatus, quod diuinitatis proprium est vbiq; simul esse, naturæ in Christo humanæ adscribat? Omitto alias aliorum neque paucas, neque leues blasphemias: ex quibus perspicui clarissimè possit, quanta legum æquitate, & quam iusta earundem seueritate, mortis supplicium blasphemis hæreticis irrogetur. Præterea Deuteronomij cap. 13. Pseudopropheta, qui visis somniorum fictis, ad cultum alienorum deorum populum sollicitet, quamlibet propinquus is sit vel amicus, occidi iubetur à Domino. Ac si quam forsitan urbem abominandus falsorum deorum cultus inquinasset, statim (inquit) percuties habitatores urbis illius in ore gladij: & delebis eam, omniaque quæ in illa sunt usque ad pecora: quicquid etiã suppellectilis fuerit congregabis in mediũ platearũ eius, & cum ipsa ciuitate succendes, ita ut vniuersa cõsumas Domino Deo tuo. Nihilne hic est quod debeant hæretici

formidare? Et qui magis à cultu verę religionis populum Christianum abducūt? Fallunt enim incautos reuera suis somnijs, & ab vni^o veri Dei vero ac legitimo cultu, ad fictionum opinionumq; suarum idola colenda pertrahunt. Surgunt è medio populi Christiani, & cū se alijs magistros arrogantissimè præbuerint, ex aliqua eos inspiratione cęlesti proferre cuncta, fascinati auditores arbitrantur. Dicere proinde non dubitant: Eamus, sequamurq; deos alienos quos ignoras tu, & seruiemus eis. Vetera iam toties repetita fastidimus: nouas atque inauditas sequamur de religione sententias, & credamus eis. Nam hæreticorū noua dogmata, quemadmodum rectè Vincentius Lirinensis annotauit, vetus testamentum allegorico sermone deos alienos appellare consuevit: propterea quod sic ab hæreticis ipsorum dogmata, vt à gentilibus d. j. proprij, obseruantur. Quis igitur iam de summa æquitate dubitet, si vel sigillatim è medio morte tollantur: vel cum se in vnum collegerint, bello petiti deleantur? Ac ne solos in illa veteri Iudæorum republica idolorum cultores neci traditos fuisse putes, verū & eos, qui vnus Dei retēto cultu, alia quapiam ratione in religionem peccarent, hanc quoq; de his legem accipito: Propheta (inquit summus legislator) qui arrogantia deprauatus, voluerit loqui in nomine meo, quæ ego non præcepi ei vt diceret, aut ex nomine alienorum deorum, interficietur. Hic sanè isti vt cunq; hæreticos non esse alienorum deorum culto-

Deut. 18.

cultores ostendant, vt tamen ea minimè dicere, quæ Dominus haud eis præceperit, videantur, nunquam efficient. Currunt enim non missi, & cum noua esse fides non possit, illi nouam atque inauditam cudere moliuntur. Omnes diuinitus afflatos se loqui profitentur, & pugnantia interim tradunt: atque inter se acerrimè digladiantur, cum non sit dissensionis Deus, sed pacis. Nullos, per tot annorum centurias, quæ antè ipsorum fluxere ortum, reperiunt, qui eadem per omnia vel crediderint, vel docuerint, vel scripserint: cum vera Christi ecclesia nullo vnquam tempore ab his mortalium sedibus abesse potuerit. Quanam igitur illos ratione quisquam theatur, quos modo id facere perspicuū est, quod Dominus mortis pœna vindicandum esse fanciuit? Sed his & aliam adiungamus legem, ex Deuteronomio quoque repetitam: *Cap. 17.*
Qui superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui in eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malū de medio Israel. Non hic quisquam ob idololatriam, sed ob superbiam, non quia duci aut principi obtemperare recusauerit, sed quia summi sacerdotis iudicio non acquieuerit, mortis supplicio afficiendus decernitur. Quidnam autē esse causæ possit, cur illi quidem meritò interficerentur, qui summi sacerdotis iudicium fuissent aspernati: isti verò nostri, qui primario in terris Ecclesiæ pastori, Christiq; summi sacerdotis vicario, neque obtemperent, neque ob-

temperandum esse & sentiant, & doceant, nulla digni mortis pœna credantur? Neque enim (opinor) quisquam plus honoris Moisaico, quàm Euangelico ministerio deferet; præsertim cum illud umbras rerum venturarum contineret, hoc rerum exhibitarum claram atque illustrem proponat veritatem: illud seruitutis, ac timoris esset, hoc libertatis fit & amoris: illud mortis, hoc vitæ. Proinde si illius imperium recusasse crimen fuit, profecto huic se noluisse subijcere, posteaquam esset cognitum, grauius multo censeri debet. An non hæc Apostoli collectio est? Irritam quis faciens (inquit) legem Moyfi, sine vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quanto deteriora putatis mereri supplicia, qui filium Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est, & spiritui gratiæ contumeliam fecerit? Illos autem ipsos designat, de quibus dixerat antea: Voluntariè peccantibus nobis post acceptam noticiam veritatis, iam non relinquitur pro peccatis hostia: terribilis autem quædam expectatio iudicij, & ignis æmulatio, quæ consumptura est aduersarios. Non sibi hic blandiantur hæretici: Dei filius cum in seipso iam conculcari non possit, in suis sæpè ministris ab illis conculcatur. Nec grauior spiritui gratiæ fieri contumelia potest, quàm si quis ad eam totis viribus oppugnandam, inuidentiæ vel odij facibus agitetur. Sed ne quisquam istiusmodi leges ita proprias illius populi fuisse putet,

Heb. 10.

Ibidem.

putet, vt in alijs gentibus absurda fit earum futura, similitudine seueritatis, imitatio: meminert is Regis Nabuchodonosor, intentè audiat quid ille dixerit: A me (inquit) positum est hoc decretum, vt omnis populus, tribus, & lingua quæcunque loquuta fuerit blasphemiam contra Deum Sidrach, Misach & Abdenago, dispereat, & domus eius vastetur. Neque enim est alius Deus qui possit ita saluare. Noua tum gentibus & odiosa res erat, vnius veri Dei prædicatio; præsertim cum is ita tum coleretur à pauculis hominibus, vt cæterorum, quos sibi fingebat stulta gentilitas, veneratio damnaretur. Et tamen ne hic vnus Deus impeteretur blasphemijs, rex ille terribili lege prohibuit. Quid igitur mirandum sit, talem hisce quoque temporibus & inter gentium, sed Christianarum, populos à principe Catholico legem proficisci, qua nō modò blasphemæ hæreticorum linguæ coerceantur, verum etiam facta sacrilega dignis supplicijs puniantur? Non enim Catholica & Romana religio, quam insectantur odijs implacabilibus, aut noua videri potest, vti tum vnius Dei cultus atque professio, aut probata paucis atq; vsitata: Cum hanc vnam constet esse, qua non aliam Christianus orbis, continua ad nos vsque serie populorum ab ipsis Apostolorum temporibus decurrentem, nouerit. Cur ergo videatur iniquum, seueritate legum aliquanta, ab iniurijs pseudochristianorum defendi hanc vnam, tanta populorum consensione probatam, tanta vetustate

*Epist. 48.**Lib. 2. con-
tra literas
Petiliani
cap. 92.*

tustate in summam auctoritatē adductam, tam frequenti aduersariorum oppugnatione roboratam? Et Augustinus quidē ipse, cuius isti nobis sentētiolas quasdam obiciunt, non dubitauit factum illud regis Nabuchodonosor, adumbrationem quandam ac typum habuisse dicere rerum earum, quæ multò post in Ecclesia gererentur: hoc est, disciplinæ & seueritatis huius, quæ per fideles ac pios reges exerceretur aduersus impios & sacrilegos deprauatores dogmatis Christiani. Non dubitauit idem ipse colligere: Si decreuerit ille rex ne blasphemaretur Deus tēperator ignium, & liberator trium puerorum, multo magis cogitare debere Christianos reges, quid decernere debeant in regno suo, ne in suis fidelibus idem ipse Deus exuffletur condonator peccatorum, & liberator iam totius orbis terrarū. Tale igitur ille tantæ seueritatis exemplum, ad imitationem, voluit Christianorum principum animis obuersari. Ac durum id quidem fatetur esse disperdere miseros, vastareque eorum domos, quod Regia illa comminabatur lex, sed si aliter pacem habere non meruit domus Dauid, nisi Absalon filius eius in bello, quod contra patrem gerebat, fuisset extinctus, nihil superesse dicit, nisi vt ecclesie, quæ domus est Christi, tales inimicos, qualis fuit ille Dauidis patris sui, obstinatione sua perdēdos lugeamus, & regni Christiani tranquillitate parta fidei& integritate, quoad fieri potest, conseruata, mœsticiam nostram consolemur. Prætereundum modò non arbitror legem

legem ab Artaxerxe rege latam in eos, qui Dei regisq; decretis minimè paruissent. Omnis (inquit Esdram sacerdotem alloquens) qui ^{1. Edr. 7.} non fecerit legem Dei tui & legem regis diligenter, iudicium erit de eo siue in mortem, siue in exilium, siue in cōdemnationem substantiæ eius, vel certè in carcerem. Quæ quidem lex cum cæteris, quæ ab eodem rege constituta erant, vsque aded probata Esdræ sacerdoti fuit, vt lætus in hanc vocem erumperet: Benedictus Deus patrum nostrorum, qui ^{Ibidem.} dedit hoc in corde regis, vt glorificaret domū Domini quæ est in Hierusalem. Quòd si tum ij qui legem Dei non impleissent iusta morte plecterentur, quid passuros eos fuisse censes, qui impleri impossibile aut non necesse esse docuissent? At quid nunc ab his agitur? An non vt ijs assentiamur diuinam legem obseruatu impossibilem? vt fieri multa non debere credamus, quæ fieri oportere, & Christi verbo, & Apostolica traditione accepimus? Imò verò non dubitant, cum os perfricauerunt, & docere, & scribere, nihil præceptum in Evangelio præter fidem, cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita. Item præcepta decem nihil pertinere ad Christianos. Rursum hominē iustificatum & perfectum non teneri ad obseruantiam mandatorum Dei & Ecclesiæ, sed tantummodo ad credendum. Item Christum esse datum hominibus vt redemptorem cui fidant, non etiam vt legislatores cui obediant. Quæ cum per se ipsa statim absurda sint, iustiusq; os talia profes-

rentis tunderetur fustibus, quàm rationibus occluderetur, nemo non intelligit, penes quæ aliquid refidet mentis integræ, quantum pro gloria domus Dei, quæ est in Hierusalem, id est, pro Ecclesia, cuius illa typum gessit, princeps Catholicus facturus sit, si istiusmodi rabulis de sanctissimis Dei & Ecclesiæ legibus quicquid in buccam venerit, temerè & impudenter effutièribus iustissimæ seueritatis suæ metum incusserit. Ac de iustitia quidem hætenus, sine qua nec vera respublica est, & qualiscunque demum sit, stabili firmitate subnixæ esse non potest.

In vnica religione Catholica concordia pacisq; publica vinculum præcipuè consistere, eoque soluto grauissimè perturbari.

CAPVT IIII.

*Lib. 4. de
dictis &
factis So.
gratis.*

IAM & de concordia, pace & amicitia videndum est, sine qua rempublicam diu stare non posse, quiuis intelligit. Quam concordiam Socrates, vt est apud Xenophontem, primarium esse reipublicæ dixit bonum: vsque adeò vt Græciæ vrbes non aliud iusiurandum à ciuibus exigerent, quàm de concordia conseruanda. Hæc autem nec sine consensu in religione cohærere potest, nec peregrina introducta, permanere. Non enim leue paruiq; momenti videri solet hominibus religionis negotium: sed grauissimum ac præcipuum quiddam, cuius ante omnia cura se putent commoueri oportere. Loquor de hominibus non atheis; qui vt Deum esse concipiunt aliquem, quo ne fingi quidem maius quidquam possit,